

Descriptionem amplam et exquisitam valetu-
 nis Serenissimæ Magnæ Ducis Russiæ, cum
 attentione perlegi, & omnia, quæ ibi recensentur,
 omnino ex arte, prudenter et perite judi-
 cata et peracta esse agnosco. Corporis consti-
 tutio, qualem temperamentum vocant, sangui-
 neo-phlegmatica, cum alias, in utroq; sexu, tum
 eò magis in Foeminino, catarrhalibus, stagna-
 tionibus in capite, occasionem præbere, nemo
 credo in dubium vocabit. Si præsertim per
 rerum non naturalium errores, partim regur-
 gitationi humorum versus caput, partim spis-
 situdini illorum, circa caput, liberior aditus
 pandatur. Id quod in ipsos sensus incurrit, quo-
 tidiano exemplo repentine gravedinis; Quando
 vel solo capite, majori calori exposito, vel toto
 corpore, undecunque, præter solitum, concale-
 facto, repentina perfrigeratio capiti admittitur.
 Gravedo talis, quando coryzam erumpit, nihil
 in recessu habet, si error refrigerationis emen-
 datur: Unde etiam sine difficultate, sensim ite-
 rum desinit. Quando vero neq; prudente mode-
 ramine iterum discutitur, aut exitum dictum
 non assequitur, tunc et alia magis sensum
 afficientia incommoda progignit; Gravitatem
 capitis, dolores tensivos, torpores, faciei

urgidas inflationes, pallores, aurium susurros &c.
 tum ad fauces restagnans, branchum, tonsillarum
 inflationes, et tenacis sputi sreatus, gignit:
 tum profundius serpens, in ipsam asperam ma-
 teriam, imo oesophagus, redundans, tusces mu-
 cidas pro tat. Quibus rebus contumacius duran-
 tibus, simplicior, et verè dicenda, catarrhalis
 febricula supervenit: augefcens, nisi tempesti-
 va discussione stagnationes illa catarrhales
 resolvantur. Imo, si in-gravescenti tali consti-
 tutioni, non tempestive, recte tamen et ordine
 consulatur, altius, per bronchia aspera arteriae ad
 pulmones restagnans mucositas talis, pectoralem
 etiam tussem, primo quidem simulat, diuturni-
 ore vero decubitu, etiam inducit. Discretionem
 talis, verius pectoralis, tussis, à catarrhali, tan-
 to magis necessariam duco; dum, quae comuniter
 pectorali tussi destinantur remedia, catarrhali
 non aequè satisfaciunt. Imo vero, quae vulgo an-
 tiphthifica creduntur, traumatica, subastrin-
 gente effectus, suspecta potius sunt. Balsamica
 vero, nisi quatenus simpliciter resolutioni et
 discussioni quærat, febrem facilius intendunt.
 Unde simpliciora catarrhalia discutientia,
 interposita moderata laxatione, longe felicius
 rem expediunt: non neglectis, quae tenacius
 sputum, partim leniter abstergant, partim vo-
 lubile reddant. Nempe conspicua diversitate
 inter incrassationem lentam, tenacem, et glū-

2
tinofam: Et spissitudinem quasi pultaceam, facile
disrumpendam, et exscreationi obsequentem.
Occurrunt nempe gravedinosa tales tusses, propemo,
dum quotannis, versus aut circa æquinoctia, cum
concurfantibus febriculis talibus catarrhalibus;
presertim in teneriore constitutione corporum:
Quæ debita methodo tractata, citra difficultatem
mansuescunt: Aliter vero æstimata, non raro
majora incommoda post se trahunt. Cum autem
omnes ejusmodi stagnationes, ad et circa aliqua
emunctoria, quando exitum nanciscuntur, et
non satis mature discutiuntur, et ad proprias,
aut commodiores, vias revocantur, vix non quo-
tidianis exemplis, facile in adfuetudinem dedu-
cantur. Occurrunt inde plurima talia specimina,
etiam in negotio catarrhorum, ut in habitum
deducantur: Nempe aliquando veluti continui
fiant: Sapius autem ad minimum promte re-
vertantur, et quidem, magis magisque, per oc-
casiones ita leues, ut nulla proportio inter
materias, et tales commotiones, seu requirgita-
nes, observari aut agnosci possit. Id quod è
practicis exemplis, adeo elucet, ut etiam hinc
inde casus occurrant, ubi commotiones tales,
plus minus exquisitas periodos statim temporis
observent. Dum scilicet motus, ejusmodi sunt
negotium, quod promptissime in adfuetudinem
deducitur: quæ quanto sæpius liberum progressum

assequitur, tanto promptius in posterum recur-
 rit: Et contumacius persistit. Inter remedia, ca-
 tarrhos resolventia et discutientia, primum locu-
 tuentur, bona essentia succini; et bona essentia
 rad. pimp. alb. umbellifera, quae etiam pectori
 prospiciunt. Cascarilla, remedium praebet, tum pectori,
 pra multis aliis, amicissimum; et certe in
 peripneumonia efficacissimum: Sed etiam opti-
 me discutiens, et transpirationem, tempesti-
 vo usu, egregie promovens. Et simul moderate
 anodynum. Sive in bene saturata essentia,
 sive in extracti cum aqua, formula. Est pro-
 inde etiam, in omnis generis febribus, sub con-
 veniente methodo remedium, tam utilissimum,
 quam simul securissimum. Natura conve-
 niens evacuatio mucositatis serosa, per in-
 testina procedere debet; Ubi non solum lubri-
 ca sua consistentia, progressum fecum promo-
 vet, Sed etiam has ipsas molliores conservat.
 Hoc intuitu catarrhalibus mucosis restagna-
 tionibus aliorum incumbentibus, praemis-
 solventibus et discutientibus, utiliter in-
 terponitur, aut subjungitur, moderata laxatio
 alvi. Quae vulgo catarrhos suspendere
 memorantur, narcotico effectui, uti certe nun-
 quam sunt necessaria: Ita simpliciter tusim
 cohibentur longe facilius malum obfirmant,

et tenacitatem muci, vel augent, vel certe
 fovent, et nusquam quidquam boni præstant;
 Caput certius gravant, et tonum enervant.
 Quicquid utilis Sedationis in hoc genere locum
 habet, illud omne, nimio melius, et omnino
 certius, in demulcenda importuna tussi, Casca-
 rilla, præstat; reliquis simul circumstantiis pro-
 spiciens. Ceterum volubilem incrassationem
 sputi tenacis, promovet etiam, prudens et
 peritus, moderatus usus nitri; Qui etiam fe-
 briles æstus contemperat, et lenissima Diuresi,
 obvias acredines educit. Unde in catarrhalibus
 febribus, tanto magis autem in rheumaticis
 modo methodice adhibitum, maximi certe est
 usus pectori prospicere, optimum quidem est
 consilium; non exigua vero difficultas, quibus
 remediis illud ita præstari possit, ut verus, et
 experientiâ conspicuus effectus inde sentiatur.
 Decantatissima certe remedia, quæ directe he-
 ctori dicantur, destituunt attentam expectatio-
 nem: Quæ vulgo antiphthysica narrantur, etiam
 noxa propiora sunt: Expectorantia, cavendum
 est ne magis ad pectus pellant, quam simpli-
 citer e pectore expellant. Ego quidem certus
 sum, quod tuosis hectoralis sæpius credatur,
 quæ non alia sit, quam catarrhalis. Quæ
 vero à perfrigeratione pectoris propius oritur,

Supra dictis catarrhalibus remediis, ita etiam
 discuti possit, ut aliis nihil opus. Qua vero
 ab acribus halitibus, aut aliis respiratione
 haustis, coorta est, illa ipsa quoque per vulgo
 nominata pectoralia parum opis sentiat.
 Certiorem usum habet Destillatum, ex herbis
 traumaticis, per fermentationem cum vino
 reclusis; seposita portione primo prodeunte
 spirituosam. Si mane, et sub noctem, una aut
 altera uncia, cum frustulo panis melliti,
 sumatur: tam discutiente, quam tonico effectu,
 pectori proficua. Omnia vero remedia parum
 proficient, aut nunquam constantem effectum
 assequenter, nisi verum non naturalium
 usus, provide instruat. Quod proinde, quan-
 tum usquam fieri potest, tam assidue suaden-
 dum venit, quam cordate praeemonendum, quod
 harum rerum perverso regimine, omnis cu-
 ratio irrita futura sit, et magis magisque
 inevitabilia, et quae tandem coerceri non
 possint, damna inde metuenda incumbant.
 Non sermo est, de nimium stricta et coacta
 dieta, quae in talibus subjectis vix locum
 invenit, nec etiam aequae verum usum ha-
 bet. Satis est si prudens moderamen locum
 inveniat. Unde optime se habent consilia
 in hunc finem jam suppeditata. De vena

4

Sectione, non dissentio; illud unum non diffi-
mulo, quod in presente adhuc aetate, non
aeque necessariam illam ducam: praesertim
in illis climatibus dummodo motus corporis
temperamento quodam moderari possint cre-
diderim nondum aeque ventilationibus
talibus opus fore. Aduefiunt tamen tales
promptius, quam ut deinde negligi possint,
sine sensibilibus incommodis. Quod tamen
in huiusmodi subjectis, saepe difficultate non
involuit. Tandem legitimus successus debita
purgationis menstruae, quocumque meliore modo,
tam dietetico, quam placide pharmaceutico pro-
spiciendo, summopere observandus erit: ita ta-
men, ut quamdiu ipsa natura officium suum fa-
cere sentitur, sibi potius relinquatur, cavendo
tantum, per bonum consilium, ne per errores,
impedimenta aut turbationes locum inveni-
ant. Sicubi vero etiam auxilio opus esse iudicetur,
per lenia potius remedia, quam qualescumque im-
pulsus, succurratur. Ipsa vero Divina bonitas
undiquaque omnipotente. tem suam benedictionem,
clementissime largiatur.

Mensium successus legitimus, potius precau-
vendo errores in diata, imprimis circa illa tempora
quam medicamentis, procurari poterit: abstinendo ab

omnibus impellentibus. Securissimum, et cui certe
 fidere liceat, pro hoc scopo, remedium praebent, quod
 lae mea balsamica, tam instante, quam durante ha-
 excretionem, per aliquot dies, semel in singulos, usu
 pate, nullo respectu, an aliqua laxatio alvi sequa-
 tur, nec ne, cum ad hunc effectum non proprie de-
 stinatae aut instructae sint. Si vero etiam, quod
 aliquando contingit, evacuatio talis sequeretur,
 pro bono potius eventu, et ipsius naturae sponta-
 nea exoneratione reputari mereretur, et nullum inde
 incommodum expectandum veniret.

Hac quidem ratione, atque methodo, sub Divina
 Gratia, confido exoptatissima conservatione sanita-
 tis, Serenissima Magnae Ducis, optime consultum
 iri: ad quem effectum Divina Clementia Benedictio-
 nem potentissime largiatur. Dat. Berolini 25. Sep-
 tembr. 1728.

Georg Ernestus Stahl.